



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

7. De eo, quiduxit in matrimonium, quam polluit per adulterium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

Resp. 1. Votum solenne emissum in Religione approbata dirimit matrimonium contractum ratum. *c. 2. 7. 14. de conv. conjug. Trid. can. 6. Sess. 24. de Reform. matr.* Non tamen hanc vim habet votum solenne castitatis emissum in susceptione S. Ordinum, cum enim jure tantum Ecclesiastico positivo, non naturæ à voto matrimonium dirimatur, Ecclesia potius vim illam voto solenni in Religione, quàm susceptione S. Ordinum emisso voluit attribuere, eo quòd, ut Laym. ait, per Professionem censeatur fieri perfectissima sui ipsius traditio, cujusmodi non reperitur in susceptione Ordinum. *Resp.* 2. Votum solenne castitatis tam in Religione emissum, quàm Ordini S. annexum dirimit matrimonium contrahendum. *Trid. sess. 24. c. 9. de reform. matr. c. un. de vot. in 6.*

Q. 5. An votum Solenne Professionis stare possit cum matrimonio, ejusque usu? Resp. Neg. ex *c. 6. de stat. monach.* ubi ita: *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere, scil. taliter à Papa dispensatus verus manet Religiosus.*

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

Q. 1. Quotuplex crimen sit, ex quo oritur impedimentum dirimens matrimonium? Resp. Hic nonnisi de duobus sermo est, *adulterii scil. &*

& homicidii, in quorum pœnam Ecclesia reos inhabiles ad contrahendum matrimonium non cum omni quidem persona, sed cum ea, cum peccatum est.

Q. 2. Quid requiratur, ut adulterium factum ante matrimonium dirimens? Resp. Solum adulterium à Matrona cum Sempronîa stante legitimo matrimonio commissum non obest, quò minus Sempronîa à Titio validè duci possit post mortem uxoris factæ. *6. h. t.* Nec sola promissio matrimonii post mortem legitimæ conjugis; nec sola attentatio matrimonii absque adulterio. *c. fin. h. t.* Ratio, licet & sola promissio & attentatio sola matrimonium inducere votum possit captandæ matronæ, habent tamen impedimenta hæc matrimonium legitimum potius *cap. hujus tit.* restringi, quam impleri. Requiritur itaque, ut præter adulterium vel matrimonium post mortem conjugis complice ineundem promittatur, vel in presentem conjugem defacto attentetur. *Deinde*, ut sit adulterium formale ex utraque parte *c. 1. h. t.* Ita ut promissio sit vera, & ab altera parte accepta, non acceptata enim nuda est pollicitio. *10. ff. de donat.* Demum ut promissio sit pura in nullum eventum suspensa. *Pirh. h. t. n. 11.*

Q. 3. An requiratur, ut promissio facta ante adulterium commissum eodem matrimonio legitimum durante? Resp. Aff. Ita ut si promissio facta à Sempronîa à Titio tempore legitimi matrimonii Titii cum Caja, adulterium verò commissum à Titio cum Sempronîa tempore posterioris legiti-

matrimonii Titii cum Bertha, possit adhuc adulter, mortuâ secundâ uxore, ducere adulteram, quia per secundum matrimonium legitimum adulter recessit à fide adulteræ datâ; spes etiam per secundum matrimonium extincta est, ineundi cum adultero matrimonium. Impedimentum tamen criminis semel contractum perpetuum est, quia nullo jure probatur cessare illud circa dispensationem. *c. 5. h. t.*

Q. 4. Quibus casibus oriatur ex homicidio impedimentum criminis dirimens matrimonium;

Resp. Duo sunt casus: *Primus est*, si duo committunt adulterium, eoque perpetrato ipsorum alter animo matrimonii cum altero ineundi occidit vel proprium conjugem vel conjugem sui in adultério complicitis, commissum est impedimentum criminis, ut hos inter matrimonium non possit consistere. *c. si quis vivente. 5. caus. 31. q. 1. c. 1. 3. 6. h. t. Secundus est*, si quidem adulterium non intervenit, intervenit tamen occisio conjugis facta ab ipsis communi utriusque consensu, vel eorum consilio aut jussu; eo animo, ut possint conjugem sublato NB. inter se nuptias contrahere. *c. 1. de convers. infidel.* Nota, juxta plerosque requiri occisionem factam, & non tantum attentatam, sive puram machinationem, cum LL. maximè pœnales, de crimine consummato sint intelligendæ, & verba cum effectu accipiendâ. *c. 4. de Cler. non resid.* Æquè autem incurritur, sive uxoricidium, sive viricidium commissum sit *c. si quis vivente. cit. c. 1. de convers. infid.* Item tametsi occisor

cisor

cifor infidelis fit, modò adultera fit fidelis, in Ecclesia, licèt punire infideles non possit, potest tamen punire fideles, eos inhabilitando ad matrimonium, si delicto ab infideli commisso cooperati sunt.

Q. 5. An ab ignorantibus tali crimini arceatur esse impedimentum dirimens, illud incurrat? Probabile est, quod non. Ratio; quia pœnæ reservantur per Leges Ecclesiasticas impositæ, decurruntur ab ignorantibus eas annexas delicti, ut patet in ignorante censuram annexam delicti esse autem Legem hanc pœnalem probatur in definitione Legis pœnalis. Deinde ignorantia facti excusat ab impedimento criminis, cum mulier peccans cum viro sub promissione matrimonii, quem ignorat esse conjugatum, illud contrahat, ergo ob paritatem rationis etiam ignorantia juris excusabit.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

Q. 1. An Leprosus, (vel alius morbus contrahens, ut pestis, tabes venerea, phthisis) dissolvat sponsalia de futuro contracta? Resp. Si sit leprosus perveniens sponsalibus, dissolvit *c. fin. h. t.* non quidem ipso jure, sed ubi sanus velit ea dissolvere si præcessit sponsalia, sed fuit ignorata, eodem modo dissolvit; quia verisimile non est, quod quis leprosus profæ matrimonium promittere cogitaverit; habendaque hæc est pro notabili mutatione.

Q. 2.